

quæ exuperat omnem sensum (*Philipp. iv, 7*), desiderio faciatis; in omnibus hoc intendatis, ut reconciliati pacem habeatis ad Deum.

2. His dicimus, *Nolite timere*, hos consolamur, non eos qui viam pacis non cognoverunt. Nam si illis dicitur, *Cras egrediemini*; comminatio, non consolatio erit ista. Solum nimirum dissolvi desiderant, et egredi concupiscunt, qui pacem vident, et sciunt, si terrestres domus eorum hujus habitatoris dissolvantur, quoniam ædificationem habent ex Deo, et non illi qui in insaniam versi suis compedibus delectantur. Denique hi tales moriendo non tam egressi dicendi sunt, quam ingressi; qui non in lucem, non in libertatem vadunt, sed in carcerem, sed in tenebras, sed in infernum. Vobis autem dicitur: *Nolite timere, cras egrediemini*, et jam non erit timor in finibus vestris. Multos quidem habetis hostes; carnem, qua nullus potest esse vicinior hostis; præsens sæculum nequam, quod undique circumfusum est vobis; principes tenebrarum, qui viam vestram obsident in aere collocati. Attamen nolite timere, cras egrediemini, id est in proximo. Cras enim in proximo est. Unde et sanctus Jacob ait; *Cras respondebit mihi justitia mea* (*Gen. xxx, 33*). Tres enim dies sunt, de quibus etiam legimus; *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos* (*Osee vi, 3*). Unus sub Adam, alter in Christo, tertius cum Christo. Unde et ibi subditur, *Sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum*: et hic dicitur, *Cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum*. His enim dicitur qui dimidiaverunt dies suos, in quibus periit dies in qua nati sunt, quæ est dies Adæ, dies peccati, cui Jeremias quoque maledicebat, dicens; *Maledicta dies in qua natus sum* (*Jerem. xx, 14*). Omnes enim in illa nascimur. Utinam pereat in nobis omnibus dies illa, dies nebulæ et caliginis, dies tenebrarum et turbinis, quam nobis fecit Adam, quam fecit inimicus, qui dixit; *Aperientur oculi vestri* (*Gen. iii, 5*).

3. Ecce vero illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hæc est dies quam fecit Dominus; exultemus et lætemur in ea (*Psal. cxvii, 24*), quia cras egrediemur. Unde, nisi de conclavi hujus sæculi, de ergastulo hujus corporis, de compedibus necessitatis, curiositatis, vanitatis et voluptatis, quæ etiam invitis nobis pedes tenent affectionis? Quid enim spiritui nostro cum terrenis? Cur non spiritualia desiderat, spiritualia quærit, spiritualia sapit? O spiritus, qui desursum estis, quid vobis cum infimis? *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Coloss. iii, 1, 2*). Sed corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap. ix, 15*). Necessitates multæ miseris hujus corporis detinent nos. Viscus quidam pravi desiderii et delectationis terrenæ volare non patitur, et citius retrahit mentem, si forte aliquando sublevetur. Sed nolite timere, cras egrediemini de lacu miseris et de luto fæcis. Nam ut inde vos educeret, infixus est

A pse quoque in limo profundi. Nolite ergo timere, cras egrediemini de corpore mortis, **759** et de omni corruptione peccati. Agite diem istum in Christo, ut ambuletis sicut et ipse ambulavit. *Qui enim dicit se in Christo manere, debet, sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare* (*I Joan. ii, 6*); *Nolite ergo timere, quia cras egrediemini*, et sic semper cum Domino eritis. Vel quia signanter dictum, *et Dominus erit vobiscum*, sic intelligamus, ut, dum sumus in corpore, possimus nos esse cum Domino, id est, adhærere ejus voluntati; sed non ille nobiscum, ut consentiat voluntati nostræ. Vellemus enim jam liberi esse, concupiscimus dissolvi, egredi desideramus; sed adhuc differt ille certa ex causa. Cras egrediemur, et Dominus erit nobiscum: ut quidquid voluerimus velit, et in nullo a nostra voluntate discordet.

B 4. Itaque, Juda et Jerusalem, nolite timere, si perfectionem, quam desideratis, nondum potestis adipisci; sed quod minus habet imperfectio conversationis, suppleat humilitas confessionis; et imperfectum vestrum viderunt oculi Dei. Propterea enim mandata sua mandavit custodiri nimis (*Psal. cxviii, 4*), ut videntes imperfectionem nostram deficere, et non posse implere quod debet, fugiamus ad misericordiam, et dicamus, *Quoniam melior est misericordia tua supervitas* (*Psal. lxvii, 4*), et qui non possumus in vestitu innocentis seu justitiæ, appareamus vestiti confessione. *Confessio enim et pulchritudo in conspectu Domini* (*Psal. xcv, 6*), si tamen sit (ut diximus) non oris tantum, sed etiam totius hominis, ut omnia ossa nostra dicant, *Domine quis similis tibi?* idque solius pacis intuitu, et desiderio reconciliationis ad Deum. Talibus enim dicitur, *O Juda et Jerusalem, nolite timere; cras egrediemini*: id est quam cito a corpore exierit anima, omnes simul affectiones, omnia desideria, quibus per universum interim mundum dispersa et ligata tenebatur, dissolvantur, et egredietur de visco hoc; *et Dominus erit nobiscum*. Nimis id quidem vobis videri potest, si tamen ad vos respicitis, et non ad ea quæ expectant vos. Nonne hoc universus mundus expectat? Creatura enim subjecta est vanitati; et cadente homine, quem constituerat Dominus dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ; tota simul hæreditas corrupta est. Inde distemperatus aer, terra in operibus. Adæ maledicta, et omnia subdita vanitati.

D 5. Nec sane reparabitur hæreditas, donec reparentur hæredes. Unde et, juxta Apostoli testimonium, *ingemiscit quoque, et parturit usque adhuc* (*Rom. viii, 22*). Nec soli utique huic mundo, sed et angelis et hominibus spectaculum facti sumus. *Me, inquit, expectant justi, donec retribuas mihi* (*Psal. cxli, 8*). Et martyres, cum judicii diem postularent, non tanquam vindictæ cupidi, sed perfectionem desiderantes beatitudinis quam tunc habituri sunt, acceperunt divinum consummationem: *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus*

fratrum vestrorum (*Apoc. vi, 11*). Acceperunt quidem jam singulas stolas: sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos. Vadia tenemus et obsides ipsa eorum corpora, sine quibus consummari non possunt, nec ea recipient sine nobis. Unde de patriarchis et prophetis ait Apostolus: *Deo melius aliquid providente pra nobis, ut non sine nobis consummarentur* (*Hebr. xi, 40*). O si cognosceremus et nos quomodo expectant et quantum desiderant adventum nostrum! quam sollicitè quærent, quam libenter audiunt bona de nobis!

6. Quid tamen de his loquor qui didicerunt, ex his quæ passi sunt, compassionem, quando et ipsi nos angeli sancti desiderant? Nonne de vermiculis istis, et de pulvere isto restaurandi sunt muri cælestis Jerusalem? Putatis quantum desiderant cives cælestes instaurari civitatis suæ ruinas? Quomodo solliciti sunt ut veniant lapides vivi, qui cœdificentur eis? quomodo discurrunt mediæ inter nos et Deum, fidelissime portantes ad eum gemitus nostros, et ipsius nobis gratiam devotissime reportantes? Plane non dedignabuntur ut simus eorum socii, quorum facti sunt jam ministri. Nonne enim omnes administratorii sunt spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem **760** capiunt salutis? (*id. i, 14*). Festinemus, obsecro, dilectissimi, festinemus: tota nos multitudo cælestis curiæ expectat. Exsultare angelos fecimus, quando conversi sumus ad poenitentiam; proficiamus, et festinemus complere de nobis eorum lætitiæ. Væ tibi, quicumque es qui deliberas redire ad lutum, reverti ad vomitum! Putasne placatos habebis in judicio, quos tanto et tam sperato privare vis gaudii? Exsultaverunt cum nos ad poenitentiam venimus, tanquam super his quos ab ipsa inferi porta cernerent revocari. Quid nunc erit, si ab ipsa paradisi janua reverti viderint, et abire retrorsum eos qui jam pedem alterum in paradiso posuerunt? Nam etsi corpora inferius, sed corda sursum.

7. Currite, fratres currite, non soli angeli, sed et ipse angelorum vos Creator expectat. Nuptiæ paratæ sunt, sed nondum plena domus; adhuc expectantur de quibus nuptiæ impleantur. Expectat vos Pater et desiderat, non solum propter nimiam charitatem suam qua dilexit vos (unde et Unigenitus, qui in sinu Patris est, ipse et enarravit, *Pater, inquit, amat vos* (*Joan. xvi, 27*); sed propter semetipsum, sicut loquitur per prophetam: *Propter memetipsum ego faciam, non propter vos* (*Ezech. xxxvi, 22*). Quis enim implendum dubitet quod promisit Filio, dicens: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal. ii, 8*). Et alibi, *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal. cxix, 1*). Non contentur omnes inimici ejus, dum nos, qui sumus membra ejus, aliquatenus impugnabunt. Non implebitur hæc promissio, donec novissima inimica destruat mors. Nam de Filio quis nesciat quantum desideret fructum nativitatis, et totius vitæ quam

A gessit in carne, denique fructum crucis et mortis suæ, prætium sanguinis pretiosi? Nonne traditurus est regnum Deo et Patri, quod acquisivit? Nonne ei restauraturus est creaturas suas, pro quibus Pater illum misit in terras? Exspectat nos et Spiritus sanctus. Est enim charitas et benignitas, in qua prædestinati sumus ab æterno: nec dubium quin prædestinationem suam velit impleri.

8. Ergo quia paratæ sunt nuptiæ, et omnis nos curiæ cælestis frequentia desiderat et expectat; curramus non quasi in incertum; curramus desiderii et profectu virtutum. Proficere, proficisci est. Dicamus singuli: *Aspice in me, et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum* (*Psal. cxviii, 132*). Non sicut ego merui, sed sicut illi decreverint, miserere. Dicamus item, *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat*: itemque, *Fiat voluntas tua* (*Matth. vi, 10*), Scimus quoniam scriptum est, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Aut quis accusabit adversus electos Dei?* (*Rom. viii, 31, 33*). *An non licet, inquit, mihi facere quod volo?* (*Matth. xx, 15*). Hæc sit interim consolatio nostra, charissimi, donec egrediamur, et Dominus sit nobiscum. Qui magna sua misericordia ad beatam illam egressionem, et ad clarum illud cras nos perducatur, et in hoc quoque proximo cras visitare nos, et nobiscum esse dignetur: ut si quis forte in tentatione qualibet detinetur, ipso miserante qui prædicare venit clausis apertionem, cras egredietur; ut cum gaudio salutaris suscipiamus coronam parvuli Regis nostri, ipso præstante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

In illud: *Hodie scietis quia venit Dominus, et mane videbitis gloriam ejus*. Exod. cap. xvi, 7, 8.

1. Quique terrigenæ, et filii hominum, audite Vos qui in pulvere estis, expurgamini et laudate: quia venit medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita. Venit quippe qui projiciat in profundum maris omnia peccata nostra, qui sanet omnes infirmitates nostras, qui nos propriis humeris ad propriæ dignitatis reportet **761** originem. Magna est ista potentia: sed plus est miranda misericordia, quod sic venire voluit, qui potuit subvenire. *Hodie, inquit, scietis quia venit Dominus*. Verba hæc quidem suo loco et tempore in Scriptura posita sunt: sed non incongrue illa Vigiliæ Dominicæ Nativitatis Ecclesia mater aptavit. Ecclesia, inquam, illa quæ secum habet consilium et spiritum Sponsi et Dei sui, cui dilectus inter ubera commoratur, ipsam cordis sui sedem principaliter possidens et conservans. Nimirum ipsa est quæ vulneravit cor ejus, et in ipsam abyssum secretorum Dei oculum contemplationis immersit, ut et illi in suo, et sibi in ejus corde perennem faciat mansionem. Cum ergo ipsa in Scripturis divinis verba vel alterat vel alternat; fortior est illa compositio, quam positio prima verborum: et fortassis tanto fortior,

quantum distat inter figuram et veritatem, inter lucem et umbram, inter dominam et ancillam (10).

2. *Hodie scietis quia veniet Dominus.* Secundum aestimationem meam duo in verbis istis dies nobis expressius commendantur. Primus, qui a primi hominis lapsu labitur usque ad finem mundi; dies, cui sancti sæpius maledixisse noscuntur. Ab illa enim lucidissima die, in qua conditus fuerat Adam, eiectus est; et in has rerum contrusus angustias, diem tenebrosam incurrit, et pene a lumine veritatis extinctus. In hac die nascimur universi, si tamen dies debet et non potius nox vocari: nisi quod lumen rationis quasi quamdam scintillulam nobis insuperabilis illa misericordia dereliquit. Secunda vero dies erit in splendoribus sanctorum in perpetuas æternitates, cum inclaruerit illud serenissimum mane, qui est misericordia repromissa, et absorpta erit mors in victoria: cum dimotis umbris et tenebris, splendor veræ lucis sursum et deorsum, intus et exterius cuncta pariter occupabit. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam,* ait sanctus (*Psal. cxlii, 8*); et, *Repleti sumus mane misericordia tua* (*Psal. lxxxix, 14, 9*). Sed ad nostrum diem revertamur, qui tanquam custodia in nocte pro sua brevitate dicitur, qui tanquam nihilum et inane ab illo familiari Spiritu sancti organo nominatur, cum dicit, *Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et, Defecerunt sicut fumus dies mei: et, Dies mei sicut umbra declinaverunt* (*Psal. ci, 4, 12*). *Parvi et pessimi sunt omnes dies vitæ meæ* (*Gen. xlvii, 9*), ait ille sanctus patriarcha, qui vidit Dominum facie ad faciem, qui cum eo tam familiariter loquebatur. Et quidem in hac ipsa die homini Deus rationem præstat, tribuit intelligentiam: sed necesse est ut exeuntem de hoc mundo illuminet lumine scientiæ suæ, ne, si de domo carceris et umbra mortis extinctus exierit, illuminari non valeat in æternum. Ideo quippe Unigenitus Dei, sol justitiæ, tanquam immensi et præclari luminis cereus, in hujus mundi carcerem illuminatus est et accensus; ut omnes qui illuminari voluerint, ad illum accedant, illique jungantur, ut nihil medium inter illos sit et ipsum. Peccata enim nostra separant inter nos et Deum. Sed illis sublatis, vero lumini illuminandi et quasi incorporandi connectimur in idipsum: sicut lumen extinctum lumini lucenti et ardenti sine aliquo medio conjungitur ut illuminetur, quatenus per exemplum visibilibus, effectus rerum invisibilium cognoscamus.

3. Ad hoc igitur tam magnum et præfulgidum sidus, juxta prophetam, illuminemus nobis lumen scientiæ (*Osee, x, 12, juxta LXX.*), priusquam de mundi hujus tenebris exeamus, ne de tenebris trans-eamus ad tenebras, et tenebras sempiternas. Quæ est autem ista scientia? Profecto scire quia veniet Dominus, etsi quando veniet, scire non possumus. Hoc est illud totum quod postulatur a nobis. At in-

(10) Quanti Bernardus faciebat Ecclesiæ universæ decreta, qui tantam ejus auctoritatem etiam in ac-

quis, ista scientia omnium est. Quis enim nesciat, vel nomine tenus fidelis, quia veniet Dominus; quia venturus est judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique juxta opera sua? Non omnium ista est scientia, fratres mei, sed nec multorum: Paucorum **762** est, quia revera pauci sunt qui salventur. Putasne quia illi qui, cum male fecerunt, lætantur et exsultant in rebus pessimis (*Prov. ii, 14.*), vel sciunt, vel recogitent quia veniet Dominus? Si dixerint ipsi, tu noli credere: quia *qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan ii, 4.*). *Confitentur*, ait Apostolus, *se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit. i, 16.*): *quia fides sine operibus mortua est* (*Jac. ii, 20*). Non enim se ita omni impuritate polluerent, si Dominum venturum scirent vel formidarent; sed vigilarent utique, et non sine-
Brent tam graviter perfodi conscientias suas.

4. Scientia autem ista in primo gradu operatur poenitentiam et dolorem, ut risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem convertat, et incipiant tibi displicere quæ vehementer ante placuerant; et illa specialiter horreas quæ specialiter appetebas. Sic enim scriptum est, *Quia qui addit scientiam, addit et dolorem* (*Eccle. i, 18.*), ut veracis et sanctæ scientiæ sit dolor subsequens argumentum. In secundo vero gradu operatur correctionem, ut jam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed corceas gulam, jugules luxuriam, superbiam deprimas, et facias servire corpus sanctitati, quod iniquitati ante servierat. Poenitudo enim sine correctione non proderit, sicut Sapiens ait: *Unus ædificans, et unus destruens, quid prodest eis nisi labor? Unus orans, et unus maledicens; cujus vocem exaudiet Deus? Qui enim baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, nihil proficit lavatio ejus* (*Eccle. xxxiv, 28-30.*), sed, juxta Salvatoris sententiam, verendum est ne ei aliquid deterius contingat (*Joan. v, 14*). Sed quia hæc diutius haberi non possunt, nisi circa se multa circumspectione mens indefessa vigilet et attendat; in tertio gradu operatur sollicitudinem, ut jam sollicitus incipiat ambulare cum Deo suo, et ex omni parte scrutetur, ne vel in levissima re tremendæ illius majestatis offendant aspectus. In poenitudine accenditur, in correctione ardet, in sollicitudine lucet, ut interius et exterius renovetur.

5. Hic jam respirare incipit a tribulatione malorum et dolore, et timoris magnitudinem spirituali lætitia temperare, ne suorum enormitate scelerum abundantiori tristitia absorbeat. Hinc etsi timet a Judice, sperat a Salvatore; cum jam in animo ejus timor et lætitia obsequitent et obviant sibi; plerumque timor lætitiæ superet, lætitia sæpius timorem excludat, et intra sui gaudii concludat arcanum, Felix conscientia, in qua luctamen hujusmodi indesinenter conficitur, donec quod mortale est absorbeat a vita, donec evacuetur timor qui ex parte commodatitio Scripturæ sensu agnoscebat, qualem certe nec ipsa exigit!

est, et succedat lætitia, quod perfectum est; quia non timor sempiternus, sed lætitia sempiterna erit ei. Jam vero sic ardens et lucens, nondum in domo se esse confidat, ubi sine omni timore ventorum accensum lucem soleat deportari; sed meminerit se esse sub dio, et utraque manu studeat operire quod portat; nec credat aeri, etiam si videat esse tranquillum. Repente enim, et hora qua non putaverit, mutabitur; etsi vel ad modicum manus remisit, lumen exstinguetur. Quod si etiam ardor portantis manus (ut quandoque fieri solet) adusserit, eligat potius pati quam retrahere manus suas; quia in momento, in ietu oculi poterit exsufflari. Si essemus in domo illa non manufacta, æterna, in coelis, ubi nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, nihil esset timendum. Nunc vero tribus malignissimis et validissimis ventis expositi sumus, carni, diabolo et mundo, qui conscientiam illuminatam moliantur exstinguere, insufflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos, et ita te repente turbantes, ut vix prænoscere valeas unde venias aut quo vadas. Ex quibus, etsi duo sæpius intermittunt, a tertio tamen nemo unquam sufflandi inducias extorsit. Ideo utrisque manibus, et cordis, et corporis, anima est tegenda, ne forte quæ jam illuminata fuerat, exstinguatur; nec cedendum vel recedendum, **763** etiamsi gravis tentationum fervor utriusque hominis statum vehementer affligerit; sed dicendum cum sancto: *Anima mea in manibus meis semper* (*Psal. cxviii, 109*). Eligamus potius ardere, quam cedere. Et sicut quod in manibus nostris tenemus, non facile obliviscimur, sic nunquam obliviscamur negotium animarum nostrarum, et illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris.

6. Cum ergo sic lumbi nostri præcincti fuerint, et lucernæ ardentes, custodiendæ sunt vigiliæ noctis supra gregem cogitationum et actionum nostrarum: ut si in prima vigilia, vel secunda, vel tertia Dominus venerit, paratos nos inveniat. Prima vigilia est rectitudo operis, ut ad hanc quam jurasti Regulam, omnem vitam exæquare coneris, nec transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui in omnibus viæ et vitæ hujus exercitiis, non declinans ad dexteram neque ad sinistram. Secunda, puritas intentionis, ut simplex oculus totum corpus lucidum faciat: quatenus quidquid feceris, propter Deum facias, et ad locum unde exeunt gratiæ revertantur, ut iterum fluant. Tertia est custodia unitatis, ut, in congregatione positus, voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas; ut non solum sine querela, sed et cum gratia inter fratres maneas, portans, omnes, orans pro omnibus, ut et de te quoque dicatur: *Hic est fratrum amator, et populi Israel, hic est qui multum orat pro populo et pro sancta civitate Jerusalem* (*II Machab. xv, 14*). Ita ergo in hac die adventus Unigeniti nobis veram scientiam accendit, scientiam inquam illam, quæ nos doceat quia veniet Dominus, quæ sit morum nostrorum perpetuum et stabile fundamentum.

7. *Et mane, inquit, videbitis gloriam eius.* O ma-

ne! o dies, quæ melior es in atris Domini super millia, quando erit mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato, cum splendor lucis et fervor charitatis usque in altissima illa magnalia terrarum incolas illustrabit! Quis de te cogitare, nedum aliquid præsumat recitare? Interim tamen ædificemus, fratres, fidem nostram, ut si mirabilia illa, quæ nobis reservantur, videre non possumus, saltem mirabilia quæ propter nos in terris facta sunt, aliquantulum contemplerur. Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa Majestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Conjuncta quippe sunt ad invicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Admirabiles istæ mixturæ, et omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa, tamque divisa ab invicem, invicem potuere conjungi.

8. Et primo quidem intueri creationem, positionem et dispositionem rerum: quanta sit videlicet in creatione potentia, quanta in positione sapientia in compositione quanta benignitas. In creatione vide quam multa et quam magna potenter creata sunt; in positione, quam sapienter cuncta locata sunt; in compositione, quam benigne suprema et infima connexa sunt, tam amabili quam admirabili charitate. Huic enim limo terreno vim vitalem miscuit, ut in arboribus, unde surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus et medicina. Nec hoc contentus, adjecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecoribus, quæ non solum vitam habeant, sed et sentiant quinqueperita sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, et ei vim rationalem immisit, ut in hominibus, qui non solum vivunt, sentiunt, sed et discernunt inter commodum et incommodum, inter bonum et malum, inter verum et falsum. Voluit quoque infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, et contraxit se Majestas: ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret, et in persona una sibi invicem unirentur Deus et limus, majestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nil vilius limo: et tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit **764** in Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur; quidquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur tam ineffabili quam incomprehensibili sacramento. Et attende, quia sicut in illa singulari divinitate trinitas est in personis, unitas in substantia; sic in ista speciali commistione trinitas est in substantiis, in persona unitas: et sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem; ita et hic persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia, et super omnia opera sua! Verbum enim, et anima, et caro in unam convenere personam; et hæc tria unum,

et hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Hæc est prima et superexcellens mistura; et hæc prima inter tres. Adverte homo quia limus es, et non sis superbus; quia Deo conjunctus es, et non sis ingratus.

9. Secunda mistura est, Virgo et mater, admirabilis plane et singularis. A sæculo non est auditum quod virgo esset quæ peperit, quod mater esset quæ virgo permansit. Nunquam juxta rerum ordinem virginitas est, ubi fecunditas prædicatur, ne fecunditas, ubi virginitas integra conservatur. Sola hæc est, in qua virginitas et fecunditas obviaverunt sibi. Ibi semel factum est quod factum non fuerat, nec fiet in æternum, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Tertia est fides et cor humanum; et hæc quidem prima et fecunda inferior, sed non minus forsitan fortis. Mirum enim est, quomodo cor humanum his duobus fidem accommodavit, quomodo credi potuit quod Deus homo esset; quod virgo manserit quæ peperisset. Sicut ferrum et testa jungi non possunt, sic et hæc duo nequeunt commisceri, si non misceat glutinum Spiritus Dei. Ergone credendum est quod iste Deus sit qui ponitur in præsepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantium necessitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulcro, et inter duos lapides concluditur, excelsus et immensus? Illane virgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes est, in convivio, in thalamo; qui ducit illam in Ægyptum, reducit ab Ægypto, et solus cum sola tam longinquam, tam secretam conficit viam? Quomodo potuit hoc persuaderi generi humano, universo orbi terrarum? Et tamen tam facile, tam potenter persuasum est, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Juvenes et virgines, senes cum junioribus elegerunt mille mortibus mori, quam vel ad momentum ab ista fide deficere.

10. Et hæc quidem mistura excellens, sed excellentior est secunda, tertia vero excellentissima est. Primam auris audivit, sed oculus non vidit: quia auditum est et creditum usque in fines terræ magnum illud pietatis sacramentum; sed tamen oculus, Deus, non vidit absque te, quomodo te intra virginæ ventris angustias humano corpori conjunxisti. Secundam oculus vidit, quia se fecundam et virginem illa singularis Regina conspexit, quæ conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo: cognovit et Joseph non minus testis, quam custos tantæ virginitatis. Tertia in cor hominis ascendit, cum quod factum est, sicut factum est creditum est: cum magis oraculo quam oculo credimus, cum quæ dicta vel facta sunt, tenemus firmissime, nullatenus dubitantes. In prima vide quid, in secunda per quid, in tertia propter quid Deus dedit tibi. Dedit tibi Christum per Mariam propter sanitatem. In prima remedium est, quia ex Deo et homine cataplasma confectum est, quod sanaret omnes infirmitates tuas. Contusæ sunt autem et commistæ

hæc duæ species in utero Virginis, tanquam in mortariolo: sancto Spiritu, tanquam pistillo, illas suaviter commiscente. Sed quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariæ, ut per illam acciperes quidquid haberes: quæ per hoc quod mater est, genuit **765** tibi Deum: per hoc quod virgo est, exaudita est pro reverentia sua in causa tua et totius generis humani. Si sola mater esset, sufficeret ei ut salvaretur per filiorum generationem: si sola virgo, sufficeret sibi; nec benedictus fructus ventris ejus, mundi pretium esset. Cum ergo in prima sit remedium, in secunda adiutorium est; quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret. In tertia autem meritum est, quia cum hæc firmiter credimus, jam meritum habemus; et in fide sanitas est, quia qui crediderit, salvus erit (*Marc. xvi, 16*).

SERMO IV.

De medicina lævæ, et deliciis dexteræ Eccelsi.

1. Hodiernum quidem sermonem Ordinis nostri consuetudo non exigit; sed crastina opus erit circa missarum solemniam diutius occupari, et hora brevis sermonis longitudinem non admittet. Propterea non abs re puto præparare hodie corda vestra tantæ solemnitati, præsertim cum sit profundissima sacramenti hujus et incomprehensibilis altitudo, et tanquam fons vitæ quo magis hauriatur, eo magis exuberans nunquam valeat exhauriri. Denique scio quemadmodum abundet pro Christo tribulatio vestra: et utinam abundet et consolatio vestra per ipsum? Nam mundialem quidem consolationem vobis offerre nec libet, nec licet. Vilis est, et ad nihilum utilis hujusmodi consolatio: et, quod magis est metuendum, etiam veræ ac salubris consolationis est impedimentum. Propterea qui delectatio est et gloria angelorum, ipse factus est salus et consolatio miserorum; qui in civitate sua magnus et sublimis valde beatificat cives, ipse in exsilio parvulus et humilis valde lætificat exsules; et qui in altissimis est gloria Patris, factus est in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Parvulus enim datus est parvulis, ut magnus detur magnis, et quos justificat parvulus, magnificet postmodum et glorificet magnus et gloriosus. Hinc sine dubio Vas electionis quod de plenitudine parvuli hujus acceperat (licet enim parvulus, sed plenus, plenus gratia et veritate, et in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter) (*Coloss. ii, 9*); hinc utique Paulus eructat verbum illud bonum, quod his diebus frequenter audistis: *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete* (*Philipp. iv, 4*). Gaudete, inquit, de exhibitione, iterum gaudete de promissione, quoniam et res plena gaudio, et spes plena gaudio est. Gaudete, quia jam percepistis dona sinistræ; gaudete, quia expectatis præmia dexteræ. *Læva*, inquit, *ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant. ii, 6*). Læva quidem levat, dextera suscipit; læva medetur et justificat, dextera amplectitur et beatificat. In læva ejus merita, in dextera vero præmia continentur;

in dextera, inquam, deliciæ, in sinistra sunt medicinæ.

2. Sed attende pium medicum, attende medicum sapientem. Considera diligentius quam nova medicamina portet, vide quam non modo pretiosas, sed et speciosas attulerit medicinas; non solum perutiles ad sanitatis fructum, sed et delectabiles ad aspectum, et suaves ad gustum. Denique primam ejus medicinam, primum quod in sinistra portat, attende; et conceptum invenies sine semine. Intuere, obsecro, quale sit istud, quam novum, quam admirabile, quam amabile, quam jucundum! Quid enim pulchrius, quam generatio casta? quid gloriosius quam sancta et sincera conceptio, in qua nihil pudoris est, nihil sordis, nihil corruptionis? At quoniam minus fortassis delineret nos, grata licet, admiratio novitatis, nisi fructus quoque salutis et utilitatis consideratio animum delectaret; conceptus iste, non modo gloriosus in ipsa quasi exteriori specie, sed et pretiosus in interiori virtute: ut, secundum quod scriptum est, in sinistra Domini gloria simul et **766** divitiæ inveniantur (*Prov. iii, 16*); divitiæ, inquam, salutis cum gloria novitatis. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus sine omni illicita et immunda conceptus est voluptate? In ipsa radice et origine mea infectus et inquinatus sum: immunda est conceptio mea, sed est a quo tollatur ista confusio. Ipse eam tollit, in quem solum ipsa non cadit.

3. Divitiæ salutis habeo, quibus redimam propriæ conceptionis impuritatem, Christi purissimam conceptionem. Adde adhuc, Domine Jesu, innova signa, immuta mirabilia; nam priora quidem ipsa consuetudine viluerunt. Plane enim solis ortus et occasus, terræ fecunditas, temporum vicissitudo, miracula sunt; et magna miracula: sed toties hæc vidimus, ut jam non sit qui attendat. Innova signa, et immuta mirabilia. *Ecce*, ait, *nova facio omnia*. Quis hoc ait? Agnus utique *qui sedebat in throno* (*Apoc. xxi, 5*). Agnus plane totus suavis, totus delectabilis, denique totus unctus. Hanc enim interpretationem habet nomen ejus, quod est Christus. Cui poterit asper aut durus videri, qui ne ipsi Matri in nativitate quidquam asperitatis, quidquam intulit læsionis? O nova vere miracula! Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Evæ: peperit enim filium sine dolore. Mutata est, inquam, maledictio in benedictionem, et sicut prædictum est per angelum Gabrielem, *Benedicta tu in mulieribus* (*Luc. i, 28*). O beata, sola inter mulieres benedicta, et non maledicta; sola a generali maledicto libera, et a dolore parturientium aliena! Nec mirum, fratres, si dolorem non in tulit Matri, qui dolores totius mundi tulit, secundum quod Isaias ait, quia *vere languores nostros ipse tulit* (*Isa. liii, 4*). Duo sunt quæ timet humana fragilitas, pudor et dolor. Utrumque Christus tollere venit, unde et utrumque suscepit, quando (ut cætera sileam) morte, et morte turpissima condemnatus est ab iniquis. Itaque ut fidu-

ciam nobis daret quod tolleret hæc a nobis, prius Matrem suam immunem ab utroque servavit: ut nec in conceptu quidquam pudoris, nec in partu quidquam doloris existeret.

4. Accumulantur adhuc divitiæ, crescit gloria, innovantur signa, et miracula immutantur. Non solum sine pudore conceptus, et sine dolore partus; sed mater est sine corruptione. O vere novitas inaudita! Virgo peperit, et post partum inviolata permansit, fecunditatem prolis cum carnis integritate, et gaudium matris habens cum virginitatis honore. Jam securus exspecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne mea, quandoquidem conservata per eum est incorruptio etiam in Matre sua. Facile erit ei, per quem mater ipsa incorruptionem non perdidit pariendo, ut et corruptibile hoc incorruptionem induat resurgendo.

5. Habes tamen adhuc majores divitiæ, habes gloriam ampliorem. Mater est sine corruptione virginitatis, Filius sine omni labe peccati. Non cadit in matrem Evæ maledictio, non cadit in prolem generalis illa conditio, de qua dictum est per prophetam: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram* (*Job. xiv, 4, 5* juxta LXX). Ecce infans sine sorde, solus inter homines verax, imo et veritas ipsa. *Ecce Agnus sine macula, Agnus Dei qui tollit peccata mundi* (*Joan. i, 29*). Quis enim peccata melius tolleret, quam is in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lavare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum; quæ sola sine pulvere est. Iste meo festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo: imo iste trabem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in suo.

6. Vidimus certe divitiæ salutis et vitæ; vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Quæris, a quo Patre? *Et Filius Altissimi vocabitur*. Manifestum est quis Altissimus sit. Sed ne quis remaneat locus dissimulationis, *Quod ex te nascetur Sanctum*, ait angelus Gabriel ad Mariam, *vocabitur Filius Dei* (*Luc. i, 32, 35*). **767** O vere sanctum! Non dabis, Domine, Sanctum tuum videre corruptionem (*Psal. xv, 10*), quod nec Matri quidem absulit incorruptionem. Crescunt miracula, multiplicantur divitiæ, thesaurus aperitur. Quæ generat, et mater et virgo est; qui generatur, et Deus et homo est. Sed nunquid dabitur sanctum canibus, aut margaritæ porcis? Abscondatur certe thesaurus noster in agro, et pecunia nostra in sacculo reponatur. Operiatur conceptus sine semine Matris desponsatione, partus sine dolore, vagitibus parvuli, et mœrore. Abscondatur et parturientis incorruptio legali purificatione; infantis innocentia solita circumcisione. Absconde, inquam, absconde, Maria, novi solis fulgorem; pone in præsepio, involve pannis infantem: nam et ipsi panni divitiæ nostræ sunt. Pretiosiores siquidem panni Salvatoris omni purpura, et gloriosius hoc præsepe auratis regum soliis; ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctis-

que thesauris. Quid enim humilitate ditius, quid pretiosius invenitur, qua nimirum regnum cœlorum emitur, et divina gratia acquiritur? sicut scriptum est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (Matth. v, 3); et apud apostolum: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. iv, 6). Habes commendatam a Deo humilitatem in nativitate. In hac enim exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo.

7. Vis adhuc pretiosiores divitias, et superexcellentem gloriam invenire? Habes charitatem in passionem. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Joan. xv, 13). Hæ divitiæ salutis, et gloria, sanguis pretiosus, quo redempti sumus; et crux Dominica, in qua cum Apostolo gloriamur: *Mihi autem, inquit, absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (Galat. vi, 14)! et dicebat: *Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (I Cor. ii, 2). Ipsa est læva Christus Jesus, et hic crucifixus; nam dextera quidem Christus Jesus et hic gloriosus. *Christum, inquit, Jesum, et hunc crucifixum*. Fortasse crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus. Homo enim formam crucis habet: quam, si manus extenderit, exprimet manifestius. Loquitur autem Christus in Psalmo: *Infixus sum in limo profundi* (Psal. xxviii, 3). Limum quidem nos esse manifestum est, quoniam de limo plasmati sumus. Sed tunc quidem limus paradisi fuimus, nunc vero limus profundi, *Infixus sum, inquit, non pertransii, non recessi. Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (Matth. xxviii, 20). Ipse est enim Emmanuel, *nobiscum Deus*. Nobiscum utique, sed per sinistram. Sic enim olim Thamar pariente, Zara prius solam protulit manum, quæ in sacramento Dominicæ passionis coccineo alligata est filo (Gen. xxxviii, 27).

8. Itaque jam quidem tenemus sinistram, sed adhuc clamare necesse: *Operi manuum tuarum porrige dexteram* (Job. xiv, 15); nam *delectationes in dextera tua usque in finem* (Psal. xv, 11). Domine, extende nobis dexteram [alias, ostende], et sufficit nobis. *Gloria, inquit, et divitiæ in domo ejus* (Psal. xv, 11), utique qui timet Dominum. Sed in domo tua, Domine, quid? Profecto gratiarum actio, et vox laudis. *Beati qui habitant in domo tua, Domine* (Psal. lxxxiii, 5), etc. *Oculus enim non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, quæ præparasti, Deus, diligentibus te* (I Cor. ii, 9). Lux est enim inaccessibleis, pax est quæ exsuperat omnem sensum; fons est qui ascensum nescit, sed descensum. Non vidit oculus lucem inaccessibleem, non audivit auris pacem incomprehensibilem. Speciosi quidem pedes evangelizantium pacem (Rom. x, 15); sed licet in omnem terram exierit sonus eorum; pax tamen quæ exsuperat omnem sensum, nec ab ipsis quanta erat potuit capi, nedum aliorum auribus tradi. Ait enim Paulus ipse: *Fratres, ego me non*

A *arbitror comprehendisse* (Philipp. iii, 13). *Fides quidem ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (Rom. x, 17): sed fides, non species; et promissio, non exhibitio pacis. Et quidem pax nunc est etiam in terra hominibus bonæ voluntatis: sed quid est pax ista ad illius plenitudinem et supereminentiam pacis? Unde et ipse Dominus ait: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo* 768 *vobis* (Joan. xiv, 27). Meæ siquidem, quæ exsuperat omnem sensum, et est pax super pacem, necdum capaces estis: propterea do vobis patriam pacis, et relinquo interim viam pacis.

9. Sed quid est quod diximus: *In cor hominis non ascendit*? Utique quia fons est, et ascensum nescit. Scimus enim quia fontium natura est rivos sectari convallium, montium ardua declinare, sicut scriptum est: *Qui emittit fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ* (Psal. ciii, 10). Hoc autem est unde admonere sæpius studeo vestram charitatem, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Fons enim ad altiora non ascendit, quam sit locus ejus unde procedit. Sed videri potest secundum hanc regulam non impediri a superbia vias gratiæ, præsertim quod ille primus superbus, qui, secundum Scripturam, *rex est super omnes filios superbiæ* (Job. xli, 25), dixisse non legitur, *Altior ero*; sed, *Ero, inquit, similis Altissimo* (Isai. xiv, 14). Attamen non mentitur apostolus, quoniam *ille extollitur supra omne quod creditur, aut quod colitur Deus* (II Thess. ii, 4). Horret nimanus auditus verbum; sed utinam horreat similiter animus cogitatum malignum pariter et affectum. Dico enim vobis quod non tantum ille, sed et omnis superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, et superbus vult fieri suam. Jam videtur æqualitas: sed attende male congruam proportionem. Deus quidem in his tantum quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem: superbus vero et cum ratione, et contra rationem. Vides quoniam altitudo est, et non illuc perveniunt fluentia gratiæ. *Nisi conversi fueritis, inquit, et efficiamini sicut parvulus iste* (se autem dicit, qui est fons vitæ, in quo habitat et unde manat plenitudo omnium gratiarum), *non intrabitis in regnum cœlorum* (Matth. xviii, 3). Para proinde rivulos, aggeres terrenæ et elatæ cogitationis disperge, conformare Filio hominis, non primo homini: quia fons gratiæ in cor hominis, carnalis scilicet et terreni, non ascendit. Oculum quoque purga, ut videre possis merissimam lucem; et aurem tuam inclina ad obediendum, ut quandoque pervenias ad quietem perpetuam, et pacem super pacem. Lux enim est propter serenitatem, pax propter tranquillitatem, fons propter affluentiam et æternitatem. Fontem assigna Patri, ex quo nascitur Filius et procedit Spiritus sanctus; lucem Filio, qui est utique candor vitæ æternæ, et lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; pacem Spiritui sancto, qui nimirum super humilem et quietum requiescit. Nec hoc dico, tanquam propria

ista sint singulorum: nam et Pater lux est, ut sit Filius lumen de lumine; et Filius pax est, pax nostra, qui fecit utraque unum; et Spiritus sanctus fons est aquæ salientis in vitam æternam.

10. Sed quando ad hoc perveniemus? Quando adimplebis me, Domine, lætitia cum vultu tuo? Gaudemus in te, quoniam visitasti nos oriens ex alto; iterum gaudemus, exspectantes beatam spem in adventu secundo. Sed quando veniet plenitudo lætitiæ, non de memoria, sed de præsentia; de exhibitione, non de exspectatione? *Modestia vestra, ait Apostolus, nota sit omnibus hominibus; Dominus prope est* (Philipp. iv, 5). Dignum est enim ut modestia nostra nota sit, sicut Domini Dei nostri modestia cunctis innotuit. Quid enim magis incongruum, quam ut immoderate agat homo, conscius propriæ infirmitatis, quandoquidem apparuit inter homines modestus Dominus majestatis? *Discite, inquit, a me quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi, 29), ut possit etiam modestia vestra innotescere cæteris. Jam quod sequitur, *Dominus prope est*, de dextera debet intelligi. Nam de sinistra ipse loquitur: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (Matth. xxviii, 20). Prope est Dominus, fratres mei, nihil solliciti sitis: in proximo est, et citius apparebit. Nolite deficere, nolite lassari: quærite eum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde (Psal. xxxiii, 19): prope est expectantibus eum, exspectantibus eum in veritate. Denique vis nosse quam prope 769 est? Audi sponsam de sponso canentem: *Quoniam ecce stat post parietem* (Cantic. ii, 9) *Parietem istum, corpus tuum intellige, quod obstaculum impedit, ut eum qui prope est, nondum valeas intueri. Propterea Paulus ipse dissolvi cupit, et cum Christo esse* (Philipp. i, 23), et exclamans miserabilis: *Infelix, inquit, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. vii, 24.) Sic et propheta in Psalmo: *Educ, inquit, de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo* (Psal. cxli, 8).

SERMO V.

In illud, « Sanctificamini hodie, et estote parati: die enim crastina videbitis majestatem Dei in vobis. » Respons. in vigilia Nativ. Dom.

1. Celebraturi Dominicæ Nativitatis ineffabile sacramentum, jure quidem monemur, fratres, in omni sanctificatione præparari. Adest enim Sanctus aeternorum, adest ipse qui dixit: *Sancti estote, quia et ego sanctus sum, Dominus Deus vester* (Levit. xix, 2). Alioquin quomodo dabitur sanctum canibus, et margarita porcis, nisi prius illi ab iniquitate, isti ab illicita voluptate purgati, de cætero tota sollicitudine fugiant, illi quidem vomitum, isti volutabrum luti? Suscepturus olim divina mandata carnalis Israel, sanctificabatur in justitiis carnis, in baptismatibus variis, in muneribus et hostiis, quæ non poterant juxta conscientiam perfectum facere servientem. Ve-

A rum hæc quidem omnia transiere, nimirum usque ad tempus correptionis imposita, quod utique jam advenit. Opportune igitur ex hoc jam perfecta nobis indicitur sanctificatio, interna mandatur ablutio, exigitur munditia spiritualis, dicente Domino: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. v, 8). Ad hoc vivimus, fratres, ad hoc nati, ad hoc vocati sumus, ad hoc nobis dies hodiernus illuxit. Erat aliquando nox, quando nemo poterat hæc operari. Erat nox in universo orbe ante veri luminis ortum, ante Christi nativitatem. Erat nox etiam singulis quibuscumque nostrum ante suam cujusque conversionem et internam regenerationem.

2. An non profundissima nox, et densissima tenebræ erant super universam faciem terræ, cum olim patres nostri factitios colerent deos, et insano penitus sacrilegio ligna et lapides adorarent? Au non etiam cuique nostrum caliginosa nox erat, cum tanquam sine Deo in hoc sæculo viveremus, cum ambularem post concupiscentias nostras, cum sectaremur carnis illecebræ, cum obtemperarem desideriis sæcularibus, cum exhiberemus membra nostra arma iniquitatis peccato, cum serviremus iniquitati ad iniquitatem, in quibus nunc merito erubescimus tanquam operibus tenebrarum? *Qui dormiunt, nocte dormiunt*, Apostolus ait; *et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt* (I Thess. v, 7). Et hæc quidem fuistis, sed excitati estis, sed sanctificati estis, si tamen filii lucis estis et filii diei, non noctis neque tenebrarum. Si quidem præco diei est etiam qui clamat: *Sobrii estote, et vigilate* (I Petr. v, 8). Et Judæis loquebatur in Pentecoste de condiscipulis: *Quomodo hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia?* (Act. ii, 15.) Hoc enim est quod ait ejus coapostolus: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, induamur arma lucis; sic ut in die honeste ambulemus* (Rom. xiii, 12, 13). Adjiciamus, inquit, opera tenebrarum, somnolentiam scilicet et ebrietatem (quoniam, ut supra meminimus, qui dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt), ut, tanquam in die, non dormitemus, sed ambulemus; atque hoc quidem honeste, non temulente. Vides hominem, cujus ad omne bonum dormitat anima præ tædio? in tenebris est usque adhuc. Vides inebriatum absinthio, sapientem plus quam oportet, non ad sobrietatem; cujus nec oculus visu, nec auris impleatur auditu: qui pecuniam aut simile aliquid diligens, non satiatur, longam instar hydropici sitim bibens? filius noctis est et tenebrarum. Nec facile separantur hæc duo, dicente Scriptura, *Quoniam in desideriis est omnis otiosus*; hoc est, in 770 ebrietate omnis somnolentus. Sanctificemur ergo hodie, et parati simus, parati quidem hodie nocturnum excutiendo soporem; porro sanctificati nihilominus tanquam in die ab ebrietate nocturna, cupidinis noxiæ frenando furorem. In his enim duobus mandatis tota lex pendet, et prophetæ, quæ sunt declinare a malo, et facere bonum.